

El latín perenne

AMOR

CYCNEUS CANTUS

DICATUS P. FELICI RESTREPO E S. I.

Discite quid sit Amor: res est antiquior ipso
Tempore;

Dumque fuit tempus, et Ille fuit.

HOSCHIUS, S. I.

Est Amor aeternus: Iahve quem sine tempore gignit
Conspicit; et sibimet dum videt esse parem,
Prosequitur suavissimo amore et amatur ab illo:
Deficere et numquam posset is almus Amor.
Qui Patri et Genito quum vivat iunctus in unum,
Est unum cum illis, unus et ipse Deus.
Et quoniam in dulcem dilectum tendit uterque,
Spiritus ut proprio nomine dictus Amor.
Sed Deus, immenso affectus bonitatis amore,
Culpaē Adae miserans, nosque perire videns,
Virginis in sinum venit, illi lapsus obumbrat,
Ductus amore facit filius ut sit homo.
Mentibus infusus praefulget Spiritus ipse,
Scilicet electis quos sacro amore fovet:
Et primum mystas, quos et divina litare,
Et noxas hominum purificare dedit.
Martyribus vitam pro Christi fundere amore
Dat robur, solus quod valet ipse dare.
Tu praebes Christo sponsas, et amore flagrantēs
Et quas dulce movet virginitatis amor.
Tu miseris lacrimas divino tergis amore,
Laetitiaque animos fundis amore pios.
Tu cunctos homines generoso pectore amare,
Aegros atque inopes alleviare doces.
Unde cohors Christi, totum diffusa per orbem,
Lumine et igne tuo vivit amore flagrans;
Mysticum enim si Iesus habet venerabile corpus,
Illius Tu anima es, gloria, vita et amor;
Quumque tuum sit cum Patre et Genito esse per aevum,
Semper eris mundo non periturus Amor.

DANIEL RESTREPO e S. I.